

Juris et Processuum in Ungaria per Deputatos *) in hunc finem Revisio et Emendatio peragetur; in praefatis etiam Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae ordinetur et peragatur; utrinque in proxima Diaeta, reportanda.

In Negotio Religionis, Articulus 23. Anni 1687. nunc etiam renovatur.

Articulus 125.

Erga iteratas Cleri, et memoratorum reliquorum Statuum, praefatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae declarationes, sub decursu praesentis Diaetae repertitum factas; Sacrae Caesareae et Regiae Majestatis benigna Resolutione, sic et unanimi Statuum et Ordinum consensu, atque Voto; Articulus 23. Anni 1687. renovatur et confirmatur. **)

De Civitatis Zagrabiensis. cum suis Concivibus dissensione revidenda et accommodanda; Juriumque suorum, atque Privilegiorum usu confirmando.

Articulus 126.

Benigno Assensu Sacrae Majestatis Caesareae et Regiae conclusum est; ut Libera Regiaque Civitas Zagrabiensis, in suis Juribus et Privilegiis, eorumque usu, imposterum etiam conservetur;

§. 1. Et praeterea, ut intestina ejusdem Civitatis, inter Magistratum et Communitatem suborta, et quasi jam a Triennio non sine multorum scandalo et gravioris, perniciosiorisque mali eventuri periculo vigentia Dissidia, per Majestatem Sacratissimam; tum ex gremio modofatorum Croatiae et Sclavoniae Statuum; tum ex parte Camerae Ungaricae ordinanda Commissione mediante; revidantur et complanentur.

§. 2. Qua Complanatione non succedente; et facta Commissionis Relatione; Sacra Majestas, Authoritate Regia, de Foro competenti, determinandarum earundem Dissensionum, clementer providebit.

De unione Superioris et Inferioris Civitatis Crisiensis.

Articulus 127.

Ut tandem Civitates, Superior et Inferior Crisiensis, pro tenore Articuli 103. Anni 1659. mediante Commissione, sub poena Florenorum Ungaricalium Quintigentorum, toties quoties, per Partem renitentem incurrenda, uniantur; sanctum est. ***)

*) Deputati isti, nominantur supra, art. 24.

**) Denuo renovatur, imo et extenditur; An. 1741. a. 46.

***) Renovatur; An. 1723. a. 95. Ulteriori deliberationi subjicitur, ob renitentiam superioris Civitatis; An. 1741. a. 57.